



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XLIV. Ein anderer brief Hern Heynricks von Mekelnburk, dorinne er die obgedachte Donation Ern Albrechts von Heydebrake, dess hoffes vnnd etzlicher gerechtickheit Im dorf Krumbeke, Ratificiret vnd ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

XLIV. Ein anderer brief Hern Heynrichs von Mekelnburk, dorinne er die obgedachte Donation Ern Albrechts von Heydebrake, des hoffes vnd etzlicher gerechticheit Im dorf Krumbke, Ratificiret vnd Bekennet, das er dem Closter di ander Helfft desselben dorffs auch vorkaufft Habe.

In nomine domini Amen. Nos Henricus, Dei gratia Magnopolensis et Stargardie Dominus, tenore presentium ad noticiam deuenire uolumus singulorum, quod uir deo deuotus, miles Strenuus Albertus, dictus Heydebrake, mundo ualefaciens, omnia, que possederat relinquens, Religioni se tradidit, Cenobium Hemelporte, Cythercienfis ordinis, in terra Stargardie situm, inibi quoad uiueret soli Deo militaturus, intrauit, quod etiam quedam bona sua, matura deliberatione uxoris sue omniumque heredum suorum diligenter prehabita et consensu, dicto Cenobio Hemelporte liberaliter contulit ac donauit; inprimis curiam suam in Crumbeke in terra Stargardie sitam, cum decem et septem mansis eidem Curie adiacentibus, cum duabus insulis et paruo stagno adiacente, cum omni iure et iusticia alta et bassa, sicut eandem dictus Albertus possederat, cum pleno iure patronatus, cum iure prefecture, cum seruitio quinque mansorum in agris eiusdem uille consistentium singulariter et seruitio medie uille totius Vniuersaliter, cum omnibus agris cultis et incultis, cum pratis, pascuis, paludibus, cum nemoribus siue syluis, cum omnibus infra limites seu terminos eiusdem medie uille conclusis. Hec omnia et singula dicto Cenobio contradidit et in corporalem possessionem eorundem, iuris subsidio suffragante, sicut debuit, introduxit. Cuius rei gratia nos Henricus, Magnopolensis et Stargardie dominus, predictam donationem gratam et ratam habentes, ad ampliandum cultum diuinum, in salubre remedium animarum nostre et uxoris ac filie nostre ac predecessorum nostrorum, omnem proprietatem in mansis, libertatibus, seruitiis, iuribus ac bonis prelibatis, absque omni precaria predictis fratribus in monasterio prenotato, uidelicet Celiporta degentibus, erogamus, Nihil iuris nobis aut nostris successoribus in eisdem retinentes. Huius testes sunt: Buffo de Dolla, Rudolphus de Wdenfwegen, Vicko Mundt, Wedekinus et Vicko de plote, et alii quamplures fide digni. Vendidimus nihilominus Anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XIX<sup>o</sup>. in die Apostolorum Simonis et Jude, monachis dicti cenobii Hemelporte pro centum talentis Brandenburgensium denariorum, pro centum marcis Slaualium denariorum et pro quindecim marcis argenti proprietatem residue medietatis totius uille cum omnibus attinentiis, cum agris cultis et incultis, cum pratis, pascuis, cum nemoribus, cum omni iure, liberam et exemptam ab omni cuiuslibet generis seruitio et precaria, nulla unquam tempore ab eisdem bonis exigenda, renunciantes pro nobis et nostris heredibus omni iuri, quod in eisdem bonis dinoscimur habuisse, plenum dominium quoad ius proprietatis in idem monasterium transferendo. Huius rei testes sunt: Buffo de Dolla, Wedekinus de plote, Albertus de Deuiz, Vlricus de ylnuelde et alii quam plures fide digni.

Dass dise obgesatzte Copey von mir Erasmo Seydeln, Meyssnischen Bischtums vnd von beyden gewalten offenbaren Schreybers auscultiret, collationiret vnd mitt Irem Rechten Pergamenen Originali In allenn seinen Puncten vnd Artikeln vberintriff vnd gleichlautend ist, dass Bekenne vnd betzeuge Ich mit diser meiner eigen handschrift.